J. A. Schäfer

J. A. Schäfer

De locis, quibus perfectum coniunctivi pro plusquamperfecto coniunctivi conniunctione quum praecedente scriptum est.

Coniunctionis quum usus a veteribus scriptoribus tam diligenter servatus est legesque a grammaticis tam bene cognitae et constitutae sunt, ut, qui idoneam scribendi loquendique facultatem adepti sunt, raro dubitent, uter modus adhibendus, quo tempore utendum sit. Quamquam fit interdum, ut aliquis imperfecto coniunctivi recte utatur, aliis plusquamperfectum eiusdem modi melius dici putantibus, nec minus quaeri potest, num futurum primum nonnumquam futuro secundo indicativi praeferendum esse videatur. Etiam duo perfecta indicativi, quorum alterum e coniunctione quum pendet, mirabilia interdum videntur esse, justissimas autem excusationes apud intelligentiores homines habent. Latini enim sermonis ratio postulat, ut res ante actae non eodem verbi tempore indicentur, quo res post illas perfectae significantur. Quod quum ita sit, loci optimorum auctorum a communi dicendi consuetudine differentes digni sunt, quos accuratius inspiciamus. Proposui mihi, ut perfectum coniunctivi post coniunctionem quum nonnumquam pro plusquamperfecto coniunctivi dici posse, conquisitis locis antiquorum monumentorum demonstrarem. Qui hanc rem simpliciter propositam vel unum eius generis exemplum tamquam in transcursu intuitus erit, scriptori fidem vix habebit; qui talem sententiam paulo diligentius audierit atque consideraverit, rem ita se habere concedet. Equidem miratus sum hunc locum ab iis grammaticis, quorum libros satis cognovi, omissum esse neque rem inutilem aggredi mihi visus sum, si gravissima exempla congererem congestaque illustrarem. Multos libros veterum scriptorum legi neque locorum, quales quaerebam, idonea copia me defecit. Disputationem autem ita institui, ut, quibus potissimum causis permoti scriptores antiqui perfectum coniunctivi pro plusquamperfecto coniunctivi post coniunctionem quum posuissent, indagare conarer. Itaque, si quis minimam huius commentationis particulam inspicere voluerit, meam hac de re opinionem cognoverit; si uno loco a me explicato haud contentus, plures adire cupierit, eius quoque desiderio satisfecisse existimabor. Rem inutilem me suscepisse tractandam qui dicat, fore credo neminem. Si in eo cursu, quem primum tenebam, perstitissem et Q. Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri libros, qui supersunt, cum Arriani Anabasi, opere praestantissimo, comparassem, ut facillime intelligeretur, quibus in rebus consentirent, quibus dissentirent, opusculum minoris momenti atque utilitatis perfecisse mihi viderer. Huc accedit, quod duae res requiruntur, ut libelli a magistris nomine et auctoritate gymnasiorum compositi non solum a paucissimis viris propter studiorum similitudinem, sed a pluribus cognoscautur, utilitas et parvitas, quarum neutra ab his chartis abesse videatur. Jam ad propositum pergamus.

Scriptorum Latinorum nullus propter coniunctionem quum saepius, si voluminum ab iis compositorum rationem habes, perfectum coniunctivi pro plusquamperfecto eiusdem modi posuit, quam Justinus, auctor rerum antiquarum ille quidem haud spernendus. Qui quum Trogi Pompeii historias, quibus res omnium populorum tem-

porumque continebantur, in brevius contrahere studuerit, non est mirum, quod diutius in rebus narrandis versari nolens quasi adumbratas factorum imagines aequalibus posterisque proposuit, tamquam res non essent pluribus ante saeculis actae, sed modo peractae brevi oratione illustrarentur.

Primus, quem detegere potui, locus legitur apud Justinum in libri quinti capite sexto hisque verbis comprehensus:

Tanta virtus animorum fuit, ut quum paulo ante salutem desperaverint, speraverint victoriam.

Nemo est, qui non videat eandem sententiam vulgo ita dici, ut pro iis verborum formis, quas libri manu scripti tradiderunt, ponantur desperavissent et sperarent, quamquam coniunctivus perfecti propter coniunctionem ut in ejusmodi enuntiatis saepissime dicitur. Scriptor igitur non secutus rerum actarum seriem satis habet summum Atheniensium metum summamque victoriae fiduciam indicare. Athenienses, quamquam ad salutis desperationem erant adducti, victoriam sperare ausi sunt. Justinus duo facta, desperationem atque spem, ita narravit, ut non videatur earum ordinem in historia servandum respexisse. Altera res memorabilis juxta alteram legitur. Qui ea, quae modo ipse vidit, narrat, ei facilius haec loquendi ratio ab omnibus concedetur.

Continuata earum historiarum lectione ad librum sextum eiusque caput secundum haec verba legimus:

Quibus quam paria omnia fortuna dederit, invictum tamen ab altero utrumque servavit.

Justinus multus est in laudandis Agesilai Lacedaemonii et Cononis Atheniensis virtutibus. Nullum par ducum tam bene comparatum fuisse, aetatem, virtutem, consilium, sapientiam utrique prope unam, gloriam quoque rerum gestarum eandem fuisse. In commemorandis duobus factis acquiescit, summis fortunae dotibus utrumque insignem, neutrum alterius victorem exstitisse. Si res eodem, quo factae sunt, ordine narrare voluisset, poterat debebatque scribere dedisset pro dederit. Facillime enim intelligitur Agesilaum et Cononem beneficiis fortunae ornatos adiutosque esse, anteqnam alter ab altero invictus in tanto virtutum studiorumque certamine servaretur.

Ad exempla, quae duo iam allata sunt ex Justini historiis, ille quoque locus, qui in libri undecimi capite tertio decimo legentibus occurrit, referendus est:

Quum ad pugnam solus rex deesset, a Parmenione aegre excitatus, quaerentibus somni causas omnibus inter pericula, quum etiam in otio semper parcior fuerit, magno se aestu liberatum ait, somnumque sibi a repentina securitate datum, quod liceret cum omnibus Darei copiis confligere; veritum se longam belli moram, si Persae exercitum divisissent.

Ex duobus imperfectis et uno plusquamperfecto coniunctivi satis colligi potest omnes has cogitationes ad praeterita tempora referri neque e forma participii praesentis quaerentibus repeti posse hanc legem, ut perfectum coniunctivi fuerit necessario solum admittatur. Quum omnia ex animis virorum, qui cum Alexandro Magno pugnam ad Arbela committere optabant, dicta sint, unusquisque malet dicere fuisset, quam fuerit. Eadem sententia ita pronuntiari potest: Cuncti causas sommi iusto longioris, quas non poterant cogitatione fingere, quaesierunt, quum etiam in otio semper parcior fuisset.

In libri duodecimi capite sexto decimo leguntur haec verba:

Quam (Olympiadem, matrem Alexandri Magni) quum Aeacidarum gens ab ultima saeculorum memoria et regna patris, fratris, mariti ac deinceps maiorum omnium illustraverint, nullius tamen nomine, quam filii, clarior fuit. Olympias, illa, quam diximus, Macedonum regina, quum e vita rebusque gestis multorum virorum eorumque fortissimorum magnam gloriam consecuta esset, per filium suum summas laudes nacta esse dicitur. Non est dubium, quin res ab Alexandro Magno gestae post maiorum facta commemorandae sint. Iis, quorum scriptor fecit mentionem, Alexander successit omnesque nominis splendore superavit. Primum igitur a patre, fratre, marito egregie, sed satis etiam a maioribus omnibus Olympias illustrata

est, deinde multo magis Alexandri filii nomine inclaruit. Quod quum ita sit, non perfectum coniunctivi illustraverint, sed plusquamperfectum desideratur, quod non dubites, quin plerique et scripturi fuerint et scripturi sint. Obversabantur autem animo Justini imprimis laudes Olympiadis a prioribus acquisitae et ab Alexandro maxime auctae. Quae qui legunt, non coguntur reputare, quibus temporum spatiis vel intervallis reges, quorum successor fuit Alexander, clarissimus gloriae Macedonicae amplificator, ante eum floruerint; non id omnino agitur, ut eos omnes antiquiores Alexandro fuisse cogitemus, sed solum reputandum est Olympiadem et a maioribus aequalibusque multis, et potissimum ab Alexandro filio summa nominis gloria ornatam esse. Quae duo facta intuens narrator a serie rerum actarmu animum avertit, quasi non sint antiquis temporibus, sed ipsius tempore consummata.

Transeamus ad locum, quem proximum inveni, obvium illum in capite quarto libri quarti decimi. Haec sunt verba:

Tanto pulchrior haec Antigono, quam Alexandro tot victoriae fuerunt, ut, quum ille orientem vicerit, hic etiam eos, a quibus oriens victus fuerat, superaverit.

Si quis rerum actarum ordinem respiciat, non est dubium, quin pro verbi forma vicerit putet vicisset scribendum esse. Prior enim Alexander ille Magnus orientem vicit, posterior autem Antigonus adversarios suos, eos ipsos duces, qui Alexandrum victorem ad ultimas orientis gentes secuti erant, fortitudine atque prudentia superavit. Itaque praefecti Alexandri, postquam is rex multa cum illis prosperrime gessit, ab Antigono victi sunt. Justinus, quum probe sciat, quo ordine omnia gesta sint, a tempore animum avertit, quo Alexander orientem vicit, quo successores eius ab Antigono superati sunt, id solum agens, ut res a clarissimo Macedonum rege gestae et facta unius ex eius ducibus cognoscantur. Temporum non habita ratione ob oculos eorum, qui legunt, ea ponit, quae admirentur atque inter se comparent. Si scriptor coniunctione quum non esset usus, facilius perfecto indicativi uti potuisset hoc modo: Alexander orientem vicit, Antigonus etiam eos orientis victores superavit.

Post hunc locum primus ceterorum legentibus nobis occurrit in eiusdem libri capite quinto hic:

> Tantum a maioribus degeneraverant, ut, quum multis saeculis murus urbi virtus civium fuerit, tunc cives salvos se non existimaverint fore, nisi intra muros laterent.

Quod Justinus de Spartanis praedicat, in civium fortitudine salutem reipublicae positam esse arbitrati muros urbis inutiles esse sentiebant. Olim semper sine muris se tutos esse existimaverant, tum, quum Cassander multis Graeciae civitatibus bellum inferebat, cives solos optimos esse propugnatores negarunt. Intra muros confugerunt. De Spartanis omnium temporum loquitur, quanta semper fuerit eorum fortitudo, cum admiratione commemorans. Ab eo quasi loco, quo ipse constitit, scriptor de summa Spartanorum virtute iudicat neque eam priorem nova eorum atque inaudita consuetudine fuisse recordatur vel videtur recordari. Qua opinione inductus pro verbi forma fuisset dixit fuerit.

Liber alter et tricesimus ultimis verbis continet eiusdem generis exemplum hisce verbis expressum:

> Moderationis certe eius fuit, ut, quum diversarum gentium exercitus rexerit, neque insidiis suorum militum sit petitus unquam neque fraude proditus, quum utrumque hostes saepe temptassent.

Summis laudibus effertur Hannibalis ingenium. Idem annus tres summos magnarum copiarum duces abstulit, Hannibalem, Philopoemenem, Scipionem Africanum maiorem, inter quos Poenus vitae simplicitate in summo imperio, sobrietate in omnium rerum affluentia, admirabili continentia inter homines luxuriosos excellens fuerat. Multos autem imperatores humanitate atque affabilitate superavit omniumque militum illorum, non Afrorum, sed ex aliis terris oriundorum summique ducis voluntate in unum quasi corpus coniunctorum animos sibi conciliavit. Quod quum Justinus admiretur eumque nullis diversissimorum hominum insidiis circumventum esse affirmet, nihil antiquius habet, quam ut, quantis ille exercitibus praefuerit iisque diversarum gentium, paucis verbis indicet. Qui scribit verba, quum diversarum gentium exercitus rexerit, bene meminit, quantos exercitus Hannibal

duxerit, neque artissimo temporis vinculo cum ceteris coniungit. Duo facta memorabilia proponuntur, quorum ordo tribus modis cogitari potest. Namque facile nobis persuadetur imperatorem aliquem primum exercitui praeesse, deinde militum sediiosorum insidiis peti, vel eodem tempore, quo praesit militibus, ei insidias strui vel sine ulla temporis observatione dici posse, quantas habuerit copias quantaque apud omnes auctoritate semper fuerit quamque ab omnibus suorum insidiis remotus. Quod nostro loco, ut saepius, ab auctore harum historiarum magnarumque virtutum laudatore factum est.

Libri tricesimi septimi caput primum haec habet verba:

> Mithridates quoque repentina morte interceptus filium, qui et ipse Mithridates dictus est, reliquit, cuius ea postea magnitudo fuit, ut non sui tantum temporis, verum etiam superioris aetatis omnes reges maiestate superaverit bellaque cum Romanis per quadraginta sex annos varia victoria gesserit, quum eum summi imperatores Sulla, Lucullus ceterique, in summa Gn. Pompeius ita vicerit, ut maior clariorque in restaurando bello resurgeret damnisque suis terribilior redderetur.

Magna admiratione auctor libri prosequitur regem Ponti, qui quum multa bella summa cum gloria gessisset, tandem Pompeii potissimum prudentia atque fortitudine oppressus est neque illi imperatores, quibus Pompeius successerat, parva pericula hosti potentissimo et callidissimo paraverant. Mithridatis magnitudo rebus gestis summorum imperatorum opponitur. Nihil defuit unquam ad rem variis difficultatibus impediendam. Mithridates denique victricia Romanorum arma expertus diutissime, quum saepe ad internecionem fere victus esset, imperii restaurandi facultatem non amisit. Justinus, successor et imitator Trogi Pompeii, uno quasi oculorum obtutu omnes res adversas et secundas clarissimi regis contemplatur et veluti omnia modo acta sint, narrat. Facilius ita dicere poterat Cicero in oratione pro imperio Pompeii. Justinus, qui coniunctione quum in narrandis rebus ante multos annos peractis utitur, et suum animum et ceterorum mentes ab ordine temporum, quibus factae sunt, prorsus avocat satisque habet commemorare, quae res memorabiles fuisse videantur. Dubitari non potest, quin Justinus scierit Mithridatem prius victum ab imperatoribus Romanis esse, quam resurrexisse e stragibus potentioremque evasisse. Plusquamperfectum coniunctivi vicisset pro perfecto desiderabatur. Quae ratio nostro loco apparet, ea hominis est cum admiratione exclamantis, non simpliciter narrantis. Si res, quae eodem tempore factae ac saepe renovatae sunt, alias quasi iuxta alias ponimus, ut promiscue factae esse videantur, imperfectum coniunctivi particula quum requirit. Plerosque omnes plusquamperfectum coniunctivi hoc loco posituros fuisse constat.

Nullus locus mirabilior videtur esse, quam is, qui in extremo capite secundo libri quadragesimi quarti his verbis expressus legitur:

> Cuius ea virtus continentiaque fuit, ut, quum consulares exercitus frequenter vicerit, tantis rebus gestis non armorum, non vestis cultum, non denique victum mutaverit, sed in eo habitu, quo primum bellare coepit, perseveraverit, ut quivis gregarius miles ipso imperatore opulentior videretur.

Quem locum qui ab reliquis verbis scriptoris seiungat, quis intelligendus sit, lentius reperiat. Libri auctor ipse de Hispanorum corporibus ad inediam ac laborem, de animis ad mortem paratis disserens omnesque horum populorum virtutes splendidissimis verbis ornans sentire eos, qui audiunt, cogit, cuius viri tantas celebret laudes. Per multa saecula nullum Hispanis ducem magnum nisi Viriatum fuisse dicit, qui per decem annos variis victoriis Romanos fatigaverit, quem ipsum non iudicio populi electum, sed cavendi scientem declinandorumque periculorum peritum omnes populares eum secutos esse. Verba, quae proposita sunt, nihil habent, quod ad praesens tempus pertineat. Multis annis ante scriptorem vixit; itaque ea, quae de Viriato praedicat, non ita sunt accipienda, quasi modo gesta sint. Non ad rem vix finitam quasique eodem die actam Justinus animum convertit, sed ad aetatem dudum peractam. Quicunque eandem sententiam verbis perspicuis reddere voluerit,

plusquamperfecto coniunctivi propter coniunctionem quum, quam perfecto eiusdem modi uti malet. Namque Viriati victorias priores fuisse ceteris rebus, quae ex eius vita commemorantur, constanti armorum usu, immutabili vestis simplicitate, perpetua victus frugalitate, nemo est, qui nesciat vel lectis verbis fateatur. Itaque nihil verius dici potest, quam Justinum, si communem loquendi scribendique rationem sequi voluisset, vicisset pro vicerit scripturum fuisse.

Justinus, qui facere non potuit, quin egregiam fortitudinem patriaeque caritatem in pastore eodemque optimo exercituum duce admiraretur, verbis, quae audivimus, animi sensa patefecit. Itaque non id agit, ut, quo ordine res actae sint, demonstret, Viriatum saepe consulares exercitus vicisse nec tamen post tot tantasque victorias ullam partem victus cultusque mutasse. Duas res proponit, victorias barbari, quem dicit, et vitae genus, quo nihil simplicius excogitari potest, non mutatum.

Velleii Paterculi Historiae Romanae ad M. Vinicium consulem lib. 2 c. 122 hunc unum habent eiusdem generis locum:

> Quis non inter reliqua, quibus singularis moderatio Tib. Caesaris elucet atque eminet, hoc quoque miretur, quod, quum sine ulla dubitatione septem triumphos meruerit, tribus contentus fuerit?

Scriptor, cuius haec verba indagavi, per totum opusculum operam dedit, ut patroni sui, Tiberii Caesaris, acta summis laudibus efferret. Exclamans, quis non miretur, quod, quum septies triumphare potuisset, tribus triumphis contentus fuerit, idem facit, quod is, qui totus est in hac una re laudanda. Velleius Paterculus non vult in simplici rerum a Tiberio gestarum narratione operam studiumque ponere; ubicunque commode fieri potest, eum prae ceteris laudat lectoribusque suis admirationem iniicere conatur. Hoc loco si plusquamperfectum coniunctivi scripsisset, simpliciter narrasset factaque eo ordine, quo evenerunt, retulisset. Naturalis autem rerum ordo is est, ut aliquis primum mereatur, qui triumphet, deinde non acceptis omnibus, qui ei debentur, triumphis, paucioribus sit contentus. Historicus noster, ne quid praetermisisse videatur, summatim narrat, quibus rebus gestis Tiberius septem triumphos meruerit semperque interrogando in reliqua capitis parte assensionem hominum elicere studet. Quod Tiberius septem triumphis dignus fuit, res est non minus laudabilis, quam quod tribus contentus esse voluit. Sufficit igitur dicere, quod factum est, neque luculenter enuntiare, quae ratio intercedat inter tempus, quo Tiberius ius septem triumphorum adeptus est, et illud, quo triumphavit. Extra iustum rerum temporumque nexum rem a viro, cuius mores ubique laudat, peractam intuetur. Praeterea dicere licet imperfectum coniunctivi loco nostro non male se habere, ut scribatur: Tiberius, quum septem triumphos mereretur, tribus contentus fuit. Ut plusquamperfectum coniunctivi rem alia re antiquiorem indicat, ita imperfectum coniunctivi rem significat, quae adhuc erat eo tempore conspicua, quo altera res exstabat vel exstitit. Namque, ut recte dicere possumus, tum, quum Tiberius tribus triumphis contentus fuit, adhuc septem triumphis dignus erat. Dignus adhuc erat iis honoribus, quos omnes habere noluit.

Prodeat in medium L. Annaeus Florus et quos habet locos ad stabiliendam doctrinam propositam, eos ostendat. Florus enim omnia raptim designans, non copiose narrans, a suo tempore respicit praeterita tempora et res gestas earumque causas breviter exponit, parum curans nonnumquam, quo ordine ea, quae admiratur, peragi potuerint. Quo sensu commotus non abstinuit, quin perfectum coniunctivi scriberet, quod non omnes pari amore amplexentur. In lib. 3. c. 20 haec verba legimus:

> Bellum Spartaco duce concitatum quo nomine appellem, nescio; quippe quum servi militaverint, gladiatores imperaverint, illi infimae sortis homines, hi pessimam auxere ludibrio calamitatem.

Nemo facile in eam verbi formam, quam hic reperimus, incidet, sed, si minus plusquamperfectum coniunctivi probaverit, imperfectum eiusdem modi non spernet. Id tempus, quo auctor libri usus est, iudicium de illis bellis atque expeditionibus factum optime designat neque ad eas res extenditur, quae ex illo fonte manarunt.

In lib. 1, c. 14 haec verba exstant:

> Quo tempore quis cessisse hostem mirabitur, quum alter consulum filium suum, quia contra imperium pugnaverat, quamvis victorem occiderit, quasi plus in imperio esset, quam in victoria, alter quasi monitu deorum, capite velato, primam ante aciem diis manibus se devoverit, ut in confertissima se hostium tela iaculatus novum ad victoriam iter sanguinis sui semita aperiret?

Ea verba, quae coniunctione quum reguntur, non ad explicandam vim verbi mirabitur, sed ad illustrandam potestatem infinitivi cessisse pertinent. Quod quum ita sit, proprie plusquamperfecta coniunctivi occidisset et devovisset desiderantur. Manlii Torquati filius iussu patris iam occisus erat, Decius Mus iam se diis inferis devoverat, quum hostis Romanis cessit. Scriptoris breviter narrantis maxime est dicere, quid duo exercituum duces ad firmandum imperium augendamque nominis Romani auctoritatem supra ceterorum virtutem et consuetudinem fecerint. Itaque Torquati adulescentis supplicium Deciique devotio non ita narrantur, ut clade hostium priora fuisse videantur. Sunt duae res maxime memorabiles populi Romani, quae quo tempore ante alias res peractae sint, dummodo factas esse constet, dicere nihil attinet.

In lib. 3, c. 2 haec verba scriptor habet:

> Utriusque victoriae quod quantumque gaudium fuerit, vel hinc existimari potest, quod et Domitius Aënobarbus et Fabius Maximus ipsis, quibus dimicaverant, locis saxeas erexere turres et desuper exornata armis hostilibus tropaea fixere, quum hic mos inusitatus fuerit nostris.

Plusquamperfectum adeoque imperfectum coniunctivi melius in hunc locum quadrat. Latini sermonis proprium est extra aliarum sententiarum nexum, particula quum absente, perfectum indicativi permittere. Mos turrium saxearum erigendarum vel tropaeorum figendorum ad propagandam victoriae memoriam ad tempora Domitii Aënobarbi et Fabii Maximi inusitatus fuerat et iis ipsis temporibus, quibus victoriarum monumenta posuerunt, adhuc erat insolitus.

Eiusdem libri c. 5 legentes in haec verba incidimus:

> Inde Mithridates, omnium (regum) longe maximus, quippe quum quatuor Pyrrho, decem et septem Hannibali suffecerint, ille per quadraginta annos restitit, donec tribus ingentibus bellis subactus felicitate Sullae, virtute Luculli, magnitudine Pompeii consumeretur.

Ipse annorum ordo, quibus tres hostes potentissimi reipublicae Romanae exstiterunt, ceteros, quorum facta est mentio, Mithridate priores fuisse unusquisque probe scit. Itaque, si quis eandem sententiam verbis Latinis exprimere voluerit, plusquamperfecto coniunctivi suffecissent pro suffecerint libenter utetur; paucissimi Florum imitabuntur. Quem qui hac in re ducem sequuntur, certe vituperari non possunt. Haec ratio exclamationem atque admirationem magis significat.

Additamenti loco dicere liceat coniunctionem quamvis a Floro in lib. 3, c. 19 extremo eadem ratione, qua quum adhibitam esse in hac sententia:

> Ac ne de duce quidem supplicium exigi potuit, quamvis in manus venerit.

Pro verbo venerit plerosque venisset scripturos fuisse nemo ignorat.

Apud Livium unus potissimum locus, oratione recta expressus, quales soli hic in disceptationem vocari possunt, in lib. 21, 13 nobis occurrit his verbis cognoscendus:

> Quum ille (Alcon) aut vestra aut sua culpa manserit apud hostem (si metum simulavit, sua, vestra, si periculum est apud vos vera referentibus) ego, ne ignoraretis esse aliquas et salutis et pacis vobis condiciones, pro vetusto hospitio, quod mihi vobiscum est, ad vos veni.

Si quis ita ex nobis quaerat: Ubinam ille est, quem summopere desiderabamus, respondeas: Ille apud

hostes mansit, ego solus veni. Oratio etiam hunc in modum converti potest: Quum ille apud hostem maneret vel manere cuperet, ego solus ad vos veni. Alorcus Saguntinus tum demum ad populares suos profectus est, quum Alconem apud Poenos manere cognoverat. Primum alter apud hostem mansit, deinde alter abiit. Patavinus perfecto coniunctivi scripto audientium animos ab ordine rerum actarum avocat. Quasi ad praesens tempus pertineat, quo homo quidam non venerit, non est plusquamperfectum coniunctivi hoc loco positum.

Si quis dubitet scriptoribus, quorum loci commemorati sunt, fidem habere, quamquam res ex indole linguae Latinae recte colligi potest, posteriorum defensor atque adiutor producatur summus Romanorum omnium orator, Cicero.

In epistolarum ad familiares sive diversos lib. 9, 14 ad Dolabellam data Cicero haec scripsit:

> Nam quum te semper dilexerim, quantum tu intelligere potuisti, tum his tuis factis sic incensus sum, ut nihil umquam in amore fuerit ardentius.

Cicero non semper in tali sententia perfectum coniunctivi legendum nobis dedit. Plerumque scripsisset dilexissem. Quamquam amor, cuius vinculo cum Dolabella coniunctus erat, ad illud ipsum tempus, quo has litteras exaravit, pertinebat, nulla parte imminutus, tamen amor prior fuit illo igni, quem facta Dolabellae in Ciceronis animo excitaverant. Cicero Dolabellam jam dilexerat, quum factis eius incensus est. Nunc autem, quae semper inter eos fuit benevolentia, nihil antiquius habet, quam ut magna quadam vi commemoret amorem in Dolabellam suum. Utrumque factum, quod amicum reipublicae causa dilexit et quod factis eius incensus est, summo gaudio prosequitur.

Ne omittatur Ciceronis ad Atticum epistola 17 libri 7 his verbis conspicua:

> Perspici ex litteris Pompeii potest nihil Caesari negari, quae ille amentissimus fuerit, nisi acceperit, praesertim quum impudentissime postulaverit.

Hac in enuntiatione cetera ita dicta sunt, ut a grammaticorum praeceptis non abhorreant, verbum autem postulaverit pro verbo postulavisset positum a vulgari usu recedit. Nemo infitiabitur eum, qui acceperit, antea postulasse eamque ob causam plusquamperfectum coniunctivi recte se habere. Ut fit nonnumquam, orator meminit, quis postulaverit, non quaerit, quando postulaverit, si tempus, quo acceperit, respiciatur. In eiusmodi sententia perfecto vim maiorem, quam plusquamperfecto coniunctivi tribui satis perspicuum est.

Epistolarum ad Atticum missarum 12 libri 8 hoc exemplum offertur:

> Nec vero haec extrema quisquam potest iure reprehendere, quod mare non transierim. Id enim, etsi erat deliberationis, tamen obire non potui; neque enim suspicari debui, praesertim quum ex ipsius Pompeii litteris, idem quod vides te existimasse, non dubitaverim, quin is Domitio subventurus esset.

Cicero plusquamperfecto aut imperfecto coniunctivi optime uti poterat. Tum, quum suspicatus non est, iam non dubitabat, quin futurum esset, ut Domitius adiuvaretur. Cicero autem verbis usus quum non dubitaverim, dubitationem omnino a se alienam hac in re fuisse dicit idque, quasi summi sit momenti, maiori vi pronuntiat.

Marci ad Quintum fratrem epistolarum lib. 1, 1 haec verba, quae accuratius considerentur, habet:

> Factum est mea culpa contra quam tu mecum et proficiscens et per litteras egeras, ut priore anno succederetur. Quod ego, dum sociorum saluti consulo, dum impudentiae nonnullorum negotiatorum resisto, dum nostram gloriam tua virtute augeri expeto, feci non sapienter, praesertim quum id commiserim, ut ille alter annus etiam tertium posset adducere.

Quaeritur, quae ratio intercedat inter tempus, quo Cicero non fecit aliquid sapienter, et illud tempus, quo commisit, ut frater eius tertium annum in Asia ageret. Si post illas res parum sapienter actas commisit, ut Quintus frater diutius in Asia remaneret, necessario sequitur, ut perfectum coniunctivi commiserim recte dicatur secundum communem scriptorum consuetudinem. Verba autem, quae praecedunt, satis indicare mihi videntur ea,

quae M. Cicero non sapienter fecerit, quod sociorum saluti consuluerit, mercatorum quorundam impudentiae restiterit suamque gloriam virtute fratris sui augeri voluerit, ad secundum annum referenda esse et imprudentiam, qua inductus permiserit, ut fratri imperium prorogaretur, priorem ceteris factis, quae commemorat, fuisse. Itaque insolita dicendi ratio est existimanda, quod quum commiserim dixit, sed habet sane, quo explicetur. Id, quod sibi exprobrat, quasi altiori voce pronuntiat neque temporum nexu cum rebus praeteritis coniungit. Haec est quodammodo res summi momenti, quam cum fratre absens communicet.

Nullus liber Latinus magis abundat perfectis coniunctivi, quam Ciceronis de Inventione liber, etiam in dialogo de Oratore ceterisque scriptis oratoriis permulta eius generis exempla reperiuntur nec vero ullum perfectum coniunctivi exstat, quod pro plusquamperfecto eiusdem modi positum esse dicas. Unum locum in Bruti c. 26 reperi huncce:

> Sed nec est eiusmodi i. e. Fannii, oratio, ut a pluribus confusa videatur; unus enim sonus est totius orationis et idem stilus, nec de Persio reticuisset Gracchus, quum et Fannius de Menelao Maratheno et de ceteris obiecisset, praesertim quum Fannius numquam sit habitus elinguis.

Ultima verba Cicero ita pronuntiavit, ut omne temporis spatium usque ad diem, quo se, M. Brutum, T. Pomponium Atticum colloquentes de omnibus populi Romani oratoribus fecit, cogitatione comprehenderit. Quam bonus orator Fannius semper sit habitus, quum reminiscitur, etiam illud ipsum tempus, quo Fannius de Menelao Maratheno et ceteris obiecit, animo complectitur. Itaque, quum disputatio praecipue ad tempus praeteritum pertineat, plusquamperfectum coniunctivi videtur aptissimum esse.

Libri primi de Finibus bonorum et malorum cap. 7 locum nobis praebet, qui ad doctrinam saepe hic confirmandam aliquid confert. Verba sunt haec:

> Quod vero securi filium percusserit, privavisse se etiam videtur multis voluptatibus, quum ipsi naturae patrioque amori praetulerit ius maiestatis atque imperii.

Ordinem, quo altera actio successit alteri, cum fingo animo, ut primum Torquatum naturae patrioque amori praetulisse ius maiestatis atque imperii arbitrer, deinde imperasse, ut filius suus securi percuteretur. Unde sequitur, ut nihil Ciceronem prohibuerit, quominus plusquamperfecto coniunctivi pro perfecto uteretur. Duas res quodammodo in unam conflavit, ac si dicas in eo ipso, quod filium suum necari iussit, summaque voluptate se privavit, durities animi paterni cernitur, quae ius imperii Romani patrio amori praeferre non dubitavit. Cicero, perfecto coniunctivi usus, iudicium de saevitia Torquati fecit neque rationem alterius rei habuit, cuius haec fuit causa. Torquatus primum omnem animi paterni sensum abiecit, deinde in filium atrociter animadvertit multisque voluptatibus ex ingenii et vita filii percipiendis se privavit.

Disputationes de Natura deorum in lib. 1, c. 25 hunc locum offerunt:

> (Epicurus) idem facit contra dialecticos; a quibus quum traditum sit in omnibus disiunctionibus, in quibus aut etiam, aut non, poneretur, alterutrum verum esse, pertimuit, ne, si concessum esset huiusmodi aliquid, Aut vivet cras aut non vivet Epicurus, alterutrum fieret necessarium, totum hoc, aut etiam aut non, negàvit esse necessarium.

Dubitari nullo modo potest, quin plerique scriptori fuerint traditum esset. Res, quae narratur, ad tempus praeteritum, aetatem Epicuri refertur, quod e verbis pertimuit et negavit satis intelligitur. Cicero dicens traditum sit, non Epicuri tempora respicit, sed potius suam aetatem. Ei sufficit dicere aliquam doctrinam a dialecticis traditam esse, quae si vere tradita aliquando erat, fieri potuit, ut Epicurus eam cognitam haberet eamque antiquiorem suis dictis esse sciret. Nemo unquam contendet futurum fuisse, ut plusquamperfectum coniunctivi, si librarii scripsissent, a viris doctis vituperaretur. Tantum enim abest, ut possit a quoquam vituperari, ut scriptorum consuetudine et consensu postulari videatur.

In lib. 1, c. 33 extremo haecce reperiuntur:

> Stomachabatur senex, si quid asperius dixeram, quum Epicurus contumeliosissime Aristotelem vexaverit, Phaedoni Socratico turpissime maledixerit, Metrodori, sodalis sui fratrem Timocratem, quia nescio quid in philosophia dissentiret, totis voluminibus conciderit, in Democritum ipsum, quem secutus est, fuerit ingratus, Nausiphanem, magistrum suum, a quo nihil didicerat, tam mala acceperit.

Facta narrantur, quae temporibus narratoris prorsus peracta erant neque ad id ipsum tempus, quo locutus est, pertinebant. Ad tempus autem quoddam praeteritum referenda esse, quae de Epicuri male factis dicuntur, facillime colligitur e verbis stomachabatur, dissentiret, didicerat. Itaque nemo dubitet, quin plusquamperfecta coniunctivi recte dici potuerint. Seni stomachanti omnia illa vituperanda facta ob oculos versari poterant; Cicero autem haec omnia narrans animos audientium a stomachoso sene vult averti. Singula facta in se spectantur et extra nexum eius rei, qua priora erant, ponuntur. Veluti facta memorabilia in medium proferuntur, quasi ita dixerit: Ille quidem stomachabatur, quotienscunque aliquid asperius dictum erat; Epicurus autem Aristotelem contumeliose vexavit, Timocratem scriptis acerbe exagitavit, ingrato animo in Democritum fuit, quamquam saepius aptiusque dicendum videtur vexaverat. exagitaverat, fuerat.

Secundus de Legibus lib. in c. 3 haec habet:

> Nec enim ullum hoc frigidius flumen attigi, quum ad multa accesserim, ut vix pede tentare id possim.

Si Ciceronis verba recte intelligo, Fibrenum ultimum omnium fluminum frigidorum attigit, at ante illud ad multa minus frigida accesserat. Si simpliciter dixisset: Hoc flumen frigidissimum attigi, quum ad multa accessissem, ordo temporum servatus esset. Ciceronem ad Fibrenum, qui in Lirem frigidissimus influit et alia flumina promiscue accessisse expertumque plura denique judicasse, ut vidimus, nullis verbis indicatur, quamquam fieri potest, ut aliquis ita haec verba interpretetur. Altera opinio mihi probatur, ut duorum factorum alterum quasi iuxta alterum collocatum esse videatur.

Oratoribus saepius, quam aliis scriptoribus, historicis vel philosophis, occasio perfectis coniunctivi pro plusquamperfectis utendi offertur; nec vero, quotiens possunt, totiens utuntur.

Orationis pro L. Flacco habitae c. 12 utilem locum praebet his verbis comprehensum:

> Licuisse ut intelligas, cognosce, quid me consule senatus decreverit, quum quidem nihil a superioribus continuorum annorum decretis decesserit.

Cicero respondens Graecis querentibus, classis nomine civitatibus pecuniam imperatam esse, quid se consule fieri potuerit, demonstrat. Satis scio senatum Romanum ipso decreto effecisse, ut in superioribus quibusdam decretis perstitisse videretur. Ipsum decretum mutationem animorum et sententiarum significare poterat; nec vero minus verum est iisdem verbis duas res, duo facta diversa constitui posse, primum senatum a superioribus continuorum annorum decretis nihil decessisse, deinde senatusconsultum, quod orator legi iussit, in eandem sententiam factum esse. Quod si nobis putare licet, ut videtur, plusquamperfecto coniunctivi orator recte uti poterat, nam primum senatus in ratione superiorum decretorum perseverare constituit, deinde decrevit, ut naves civitatibus quibusdam imperarentur. Perfectum coniunctivi e coniunctione quum suspensum eam habet vim, ut auditorum animos ad hanc unam rem trahat, quasi sit maxime praecipua summique ponderis.

Admirabili dicendi ratione Tullius in illa oratione, in qua omnium vocabulorum contumeliosissimorum copiam collegit, his verbis in Pisonem c. 24 usus est:

> Quum vero non modo non postulante atque cogente, sed invito atque oppresso senatu, non modo nullo populi Romani studio, sed nullo ferente suffragium libero, provincia tibi ista manupretium fuerit non eversae per te, sed perditae civitatis, quumque omnium tuorum scelerum haec pactio exstiterit,

ut, si tu totam rempublicam nefariis latronibus tradidisses, Macedonia tibi ob eam rem, quibus tu finibus velles, redderetur, quum exhauriebas aerarium, quum orbabas Italiam iuventute, quum mare vastissimum hieme transibas, si triumphum contemnebas, quae te, praedo amentissime, nisi praedae ac rapinarum cupiditas tam caeca rapiebat?

Non agitur hic de rebus modo peractis, sed de vitiis, quibus Piso in administrando consulatu fuerit contaminatus; nullum nefariorum scelerum, quorum eum plenum fuisse Cicero demonstrat, ad ipsum tempus, quo orationem in eum habuit, pertinebat. Ea verba, quae a coniunctione quum incipiunt, maxime ad verbum rapiebat referenda sunt; quod quum temporis praeteriti sit, imperfectum vel plusquamperfectum coniunctivi requiri videtur. Neque enim dubium esse potest, quin Piso praedae ac rapinarum cupiditate raptus sit, quum provincia ei manupretium perditae civitatis fuisset quumque omnium scelerum haec pactio exstitisset, ut Macedonia, quibus finibus vellet, sibi redderetur. Cicero dat operam, ut Pisoni scelera ab oculos ponat; itaque duo facta, a quibus alia maleficia orta sunt, sola quodammodo et a ceteris seiuncta monstrat neque perfectis coniunctivi ad res magno lumine illustrandas male usus est.

Prima Ciceronis in Verrem Actio paene ultimis verbis exemplum eiusdem generis habet:

Dicimus C. Verrem, quum multa libidinose, multa crudeliter in cives Romanos atque socios, multa in deos hominesque nefarie fecerit, tum praeterea quadringenties sestertium ex Sicilia contra leges abstulisse.

Hic coniunctiones quum-tum ita positae sunt, ut altera coniunctivum suum habeat, altera in constructione accusativi cum infinitivo reperiatur. Quaeritur, utrum scelus prius commissum esse dicatur, furtum ingentis pecuniae, an varia in deos hominesque maleficia. Oratoris consilio ea ratio videtur optime convenire, ut Verres primum multa nefarie fecisse, deinde tamquam cumulo quodam maximo ad cetera maleficia, quorum atrocissima hic non commemorantur, accedente, permagnam pecuniam abstulisse dicatur. Sive revera ita factum est, sive factum esse fingitur, oratio a minoribus ad maiora procedere videtur. Plusquamperfectum fecisset pro perfecto fecerit hoc loco dici posse mihi persuasum est.

In lib. 2, c. 5 haec verba nobis occurrunt:

Quae quum omnia facta sint, tamen unam solam scitote esse civitatem Mamertinam, quae publice legatos, qui istum laudarent, miserit.

Haec sententia in formam multo simpliciorem converti potest, ut haec verba habeamus: Quae quum omnia facta sint, tamen una sola civitas Mamertina legatos, qui istum laudarent, publice misit. Omnia a Verre facta esse, ex quibus spem aliquam defensionis arriperet, ante legationem a civitate Mamertina missam, nemo est, qui neget. Quae opinio si concedatur, etiam unicuique dicere liceat facta essent. Orator autem non quaerit, quid primum, quid deinde factum sit, sed satis habet ea, quae omnino facta sunt, iudicibus proponere.

Huc etiam verba in lib. 3, c. 30 scripta pertinent:

Tu magno decumas vendidisti, quum tantum lucri decumano sit datum.

Ex omnibus, quae praecedunt et sequuntur, colligi potest decumano lucrum esse prius datum, quam Verres decumas vendidisset, ita ut recte dici possit datum esset. Cicero perfecto coniunctivi usus rem memorabilem, quo maior iudicibus stupor propter rei insolentiam iniiciatur, extra reliquarum rerum nexum indicat. Duo facta apparent, decumae venditae et lucrum datum, quae sine ordinis, quo cognita sunt, significatione narrantur.

Ne omittatur locus ad opinionem, quae saepius est proposita, confirmandam maxime idoneus isque in Verrinarum lib. 1, c. 2 his verbis expressus:

Equidem, ut de me confitear, iudices, quum multae mihi a Verre insidiae terra marique factae

sint, quas partim mea diligentia devitarim, partim amicorum studio officioque repulerim, nunquam tamen neque tantum periculum mihi adire visus sum, neque tantopere pertimui, ut in ipso iudicio.

Qui vulgarem dicendi rationem sequitur eamque ad grammaticorum praecepta maxime accommodatam, pro verbis factae sint verba factae essent scribere sane non dubitabit. Nemo enim ignorat Verrem insidias prius Ciceroni struxisse, quam hunc pertimuisse, ne sibi periculum omnibus gravius pararetur. Cicero autem, qui perfecto quam plusquamperfecto coniunctivi uti maluit, in rapido orationis cursu non recordatur vel recordari non videtur, utra res fuerit prior, quid acciderit, ut Verrem pertimesceret; sed longam scelerum a reo patratorum seriem intuens eos, qui audiunt, reputare iubet, quid potissimum reus fecerit, ut accusatori noceret. Orator, quasi rem ad suum tempus, ad eum diem, quo loquitur, perductam enarret, totum tempus, quo facta esse existimatur, animo complectitur.. Quod factum esse constat, id etiam tum factum esse poterat, quum aliud quid evenit. Ciceronis praecipue interest insidias sibi vere factas esse; non id agit, ut causam timoris sui ante hunc timorem ortam esse ostendat.

Dignus est, qui huc afferatur, locus ex Verrinarum lib. 4, c. 58 desumptus:

> Quod autem est ad introitum Ponti, id, quum tam multa ex illo mari bella emerserint, tam multa porro in Pontum invecta sint, usque ad hanc diem integrum inviolatumque servatum est.

Cicero de tribus Jovis Imperatoris signis dicit, quorum unum, illud Macedonicum, ex aede sua ablatum et Romae in terrestri Jovis domicilio positum, alterum in Ponti ore et angustiis fuisse, tertium, quod Syracusani coluerint advenaeque viserint, a Verre de Jovis templo sublatum esse refert.

Cicero, qui illud signum ad suam aetatem sine ullo damno servatum dicit, res reliquas, quae ad id pertinent, non est dubium, quin ante eam diem, quam indicat, accidisse doceat. Qui rerum actarum ordinem, ut historicos decet, narratione accurata persequitur neque aliud, quam simpliciter narrandi consilium peragit, plusquamperfecto coniunctivi potius, quam perfecto utendum esse existimabit. Itaque haec Ciceronis sententia, si verba ita mutata haberet: quum tam multa ex illo mari bella emersissent, tam multa porro in Pontum invecta essent, vituperatorem inveniret nullum. Oratoris digito hanc ipsam diem monstrantis maior vis est, quam narratorum more dicentis et relata referentis.

Ad sequens eiusdem libri caput progredienti locus haud minus dignus, quem commemoremus, occurrit his verbis insignis:

> Mihi credite, iudices (tametsi vosmet ipsos haec eadem audire certo scio) quum multas acceperint per hosce annos socii atque exterae nationes calamitates et iniurias, nullas Graeci homines gravius tulerunt neque ferunt, quam huiuscemodi spoliationes fanorum atque oppidorum.

Haec quoque verba ita comparata sunt, ut ea, quae socii atque exterae nationes malitia Verris perpessae sunt, post alia mala iis imposita esse videantur. Itaque nihil impediebat, quin Cicero plusquamperfecto coniunctivi uteretur, quum accepissent et quae sequuntur; perfecto autem usus est, quod rem ad praeterita tempora pertinentem, quasi inter novissimas referenda esset, verbis perspicuis illustrare cupiebat. Neglecta quodammodo temporum consecutione, rem, quae alii rei illustrandae apta erat, extra temporum seriem collocavit et in eo acquievit, ut peractam esse diceret.

In orationis pro Roscio Amerino habitae c. 45 haec verba exstant:

> Ego haec a Chrysogono, mea sponte, remoto Sex. Roscio, quaero, primum, quare civis optimi bona venierint, deinde, quare hominis eius, qui neque proscriptus neque apud adversarios occisus est, bona venierint, quum in eos lex scripta sit.

Contendo ultima verba perfectum coniunctivi post coniunctionem quum continentia a vulgari eius usu

differre, siquidem hic quoque plusquamperfectum scripta esset plerisque magis probari credo. Cicero ab eo tempore, quo haec verba pronuntiavit, contemplatus id tempus, quo bona optimi civis eiusque non proscripti venierant, satis habet dicere legem, quam bonorum venditores servandam putarint, scriptam fuisse; non studet efficere, ut auditores hanc legem ante venditionem bonorum exstitisse sibi persuadeant; constat autem legem esse scriptam, quum bona nondum venissent. Licebat igitur oratori dicere: quum haec lex in eos solos, i. e. in proscriptos, scripta esset. Eam ob causam, quod lex ita scripta erat, adversarii hominis neque proscripti neque occisi non habebant, quod bona eius venderent.

Non existimo abiiciendum esse locum, quem in oratione pro Cluentio habita reperi, medio fere c. 60. Verba sunt haec:

> Quid unquam Avitus in se admisit, ut hoc tantum ab eo facinus non abhorrere videatur? Quid autem magnopere Oppianicum metuebat, quum ille verbum omnino in hac ipsa causa nullum facere potuerit, huic autem accusatores matre viva deesse non possent?

Non est dubium, quin haec verba ad tempus prorsus praeteritum referenda sint, quod verba metuebat et possent satis demonstrant. Nihilominus causam metus, quem Oppianicus Avito incusserat, parum iustam esse putat; namque is nihil dixerat, unde metus oriretur. Eo ipso tempore, quo hanc orationem omnium longissimam habuit, sibi persuadebat nullum omnino verbum hac in causa ab Oppianico dici potuisse. Quodsi nullum fecit verbum ullo tempore, ne tum quidem fecerat, quum metuere coepit. Nihil igitur obstat, quin hic recte dicatur potuisset pro potuerit.

Haec habui, quae ad locum grammatices haud inutilem illustrandam conferrem. Restat, ut, cur carmen Latinum huic disputationi addendum putaverim, paucis verbis explicem. Primum enim videndum erat, ne paginarum numerus iusto minor esse videretur, deinde commodum putabam, in tanta philologorum multitudine suum quoque campum colente, aliquid conficere, quo veterem artem nondum prorsus neglectam iacere pro virili ostenderem. Itaque orationem, quam a. d. IV. Nonas Septembres a. 1873 ad celebrandam victoriam Sedanensem in auditorio maximo gymnasii nostri quum cholera morbus perniciosus existimaretur, ad discipulos solos habui, hoc modo publici iuris facere potui neque parvulum laborem oratiunculae in sermonem Latinum convertendae non libenter suscepi.



In imperium Germanicum restitutum et emendatum.

Aetatem nostram nulli concedere laude
　　Cum pueris matres iure virique putant.
Invida posteritas, coram quae vidimus ipsi,
　　Cuncta cito fieri non potuisse volet.
Grandia sunt vere, sunt admiranda profecto,
　　Mentis et humanae transiluere modum.
Nulla dies anni transit, quin facta virorum,
　　Regis et augusti commemorare queat.
Praenitet una tamen reliquis mensisque secunda
　　Septembris factis lumen adepta novum est.

Tertius est annus, postquam vox edita magna est:
Napoleo captus, prospera pugna fuit!
Ergo Sedanensi pugna sine laude peractum
Interiit proprium Napoleonis opus.
Nostra resurrexit Germania fortis et una
Et iunxit populos imperiumque vetus.
Teutonicas gentes bello magnisque periclis
Firmatas vidit posterus ille dies.
Imperii forma est melior, quam quae fuit olim,
Germanis praeest Zolleriana domus.
Anni praeteriti nos illud mille docebunt,
Et tempus praesens spesque futura probat.
Germanos constat multis virtutibus omnes
Semper finitimis praenituisse suis.
Germanos Tacitus morum probitate videtur
Doctus Romanis praeposuisse malis.
Germanos Gallus quidam putat esse beatos,
Quis etiam magnum sit sua lingua decus.
At Germani olim, morum linguaeque tenaces,
In populis meritum non habuere locum.
Corruptis vitae populis alimenta ferentes
Migrantesque novis interiere locis.
Quae vetus imperium possent bene condere iura,
Quae possent fines addere sola bonos,
Civibus adiutor validus victorque timendus,
Auceps Henricus vidit et egit amans.
Nil poterat regno prodesse, quod unus et alter
Rex aliis populis imposuisset onus.
Germani multi nihil invenere per agros
Italicos praeter certa sepulcra sibi.
Propugnatores, fortissima pectora, Suebi
Rebus et ingeniis nil peperere suis.
Austriacis inerat prudentia maior, et ipsi
Condere tentabant regna suasque domos.
Communis patriae res non curare solebant;
Atque in deliciis Austria semper erat.
Antiquis saeclis armis mediumque per aevum
Germanos hostes non petiere graves.
Rex Germanorum nil praeter nomen inane
Caesaris Augusti tristis habebat adhuc.
Finitimae gentes aliae Gallique repressis
Partibus imperium constituere bonum.
Carolus et quintus Franciscum vincere primum
Quivit, nec Turcas respuit ille feros.
Sic alter Lotharus Gallus cedebat Othoni
Germano ad patrios victus ad usque lares.
Quod dux Mauritius Gallis tres dedidit urbes,
Exemplum pravum perniciesque fuit.
Triginta annorum bello Germania Gallis
Et Suecis magnas victa reliquit opes.
Terrarum cupidus poteras, Ludovice superbe,
Mox in Teutonicos currere victor agros.

Elector magnus Gallos quum vincere posset,
Austriaci similem non iniere viam.
Attamen ultor erat; poteras dare sola salutem;
Hoc erat in fatis, Prussia cara, tuis.
Nec Germanorum potuit concordia iungi
Praeteriti saecli rebus abacta malis.
Gallia non nocuit primum; tum rege reiecto
Horribiles turbas protulit atque minas.
Europae toti bellum intulit una diuque
Pugnavit victrix Napoleone duce.
Gallia rem facilem gessit feliciter annos
Multos, Germanos deficiente fide.
Non omnes populi reges constanter amarunt
Prussiaque est durum iussa subire iugum.
Prussia succubuit; quae si voluisset habere,
Prodisset sociis non caritura probis.
Vertere rex poterat vel multa vel omnia noster;
Austriacusque aliis noluit esse pater.
Nec minus audebant sperare virique senesque
Mox posse auferri Napoleonis onus.
Hanc iniustitiam non posse diutius esse
Exemplum magnum rex Fridericus erat.
Et duo praecipue memorantur carmina, vatem
Quae Sonnenbergum composuisse liquet.
Gallia vincetur, Germania cara resurget,
Dicebat, mores ingeniumque tenens.
Haec rata verba boni vatis fecere Borussi
Et libertatem restituere suam.
At sua Germanis non sunt data iura, bonorum
Quae fuerant dudum vota modesta virum.
Prodiit in lucem scriptorum copia magna;
Eximiae leges, quas sequerentur, erant.
Foedus in urbe sita ad Moenum prohibebat honestos
Germanos aliis gentibus esse pares.
Frustra tentatis, Germania quis foret una,
Verbis et rebus, non fuit ulla mora.
Prussia magnanimum Guilelmum coepit habere
Regem, quo melior nullus in orbe fuit.
Tum demum potuit, quid tanta potentia vellet,
Sciri; Germani spem reperere novam.
Germanis primum regni borealibus una
Forma orta et reliquis foedus inire datum est.
Sic populorum animis coniunctis, ripa sinistra
Rheni non Gallis desiit esse sua.
Quum maestus firma captivus in arce gemebat,
Commoda Napoleo iam meditatus erat.
Quatuor in rebus posita est nova gloria Gallis,
Ut populos, inquit, nunc superare queant.
Russia prima cadat, cadat Austria victa secunda,
Tertia post illas Prussia fracta ruat,
Et quae non minus est odiosa Britannia, quarta
Infelix nostros sentiat illa pedes.

Illum hominem dubium rex, consiliarii et omnes
Norant; verborum non grave pondus erat.
Sanguine enim et ferro fiet Germania concors!
Olim Bismarcus vatis ad instar ait.
Atque Borussorum permultum exercitus auctus
Ipse videbatur semper ad illud opus.
Imperium concors potuit (mirabilis est res)
Germanis bellans Gallia sola dare.
Quondam oratorum, quos tota Borussia misit,
Dixerunt pauci: Nullius arma time.
Napoleo nunquam nos aggredietur amicos,
Felix, imperium si retinere valet.
Napoleo sane nos, quum poterit, petet armis!
Hos Roonus veros edidit ore sonos.
Napoleo fecit; stultusque fuisse videtur;
Terra omnis stultis annuit illa sonis.
Pax nunquam peius turbata; exercitus omnis
Teutonicus crevit laudibus usque novis.
Successus primus socialibus additus armis
Austriacos, Italos terruit atque Danos.
Ad Vissemburgum, Vortham, Spicheramque relatis
In spoliis certae fulcra salutis erant.
Nam Germanorum quid posset fervida virtus,
Experti, auxilium continuere suum.
Ad Metas nostri luctati more Gigantum,
Laude Sedanensi mox potuere frui.
Tamquam Caudinis Furcis exercitus ingens
Gallorum nostra perditus arte fuit.
Napoleo frustra mortem ratus esse petitam,
Supplex victoris venit ad ora sui.
Indulgens victor Guilelmam misit in Arcem,
Nil nisi Germanis qui miser esor erat.
Is, cui nunc paret respublica Gallica soli,
Saucius a ductu destitit ipse brevi.
Hac in re solus laudabilis esse putatur,
Quod se devictum non negat esse ducem.
Huic qui successit demissaque tradidit arma,
In falsis dictis credit inesse decus.
Germanorum aciem potuit perrumpere nusquam,
Armaque victori cuncta repente dedit.
Ante ferum bellum finem dixere secundi
Imperii Gallo non procul esse datum.
Ter sex concessos quidam praedixerat annos,
Sed tribus hoc spatium mensibus esse minus.
Alter Napoleo patruum velut umbra secutus,
Inscius ad fatum denique venit idem.
Obtinet imperium sextum Guilelmus et illud
Caesareum nomen Zollerianus habet.
Quod reliquis nullus praestantius esse negabit,
Qui tempus praesens praeteritumque videt.
Nec minus is sperat, veniens qui spectat ad aevum,
Germanis validis optima quaeque dari.

Rebus in humanis regnat mutatio; gentes
Ad finem quendam fluminis instar eunt.
Una tamen nobis res explorata, fatemur,
Germanos iterum gloria longa manet.
Haud frustra, quales per saecla priora fuerunt,
Tales nunc vivunt; nil rapit ulla dies.
Quidquid habent aliae gentes imitabile, laeti
Nostrates capiunt ingeniisque colunt.
Romanae gentes, Itali sententia docti est,
Coeperunt omnes degenerare simul.
Felices, quod nos non cum Cicerone timemus
Falli, qui Romam posse perire negat.
Corpore et ingenio fortem praeesse volebat
Haec domus imperiis Zolleriana suis.
Rex noster Caesarque viros supereminet omnes;
Dictis et factis vincere nemo potest.
Germanos olim spretos Guilelmus amanter
In populis meritum iussit habere locum.
Nunc gaudent omnes nullum corrumpere posse
Ex alienigenis iura sacrata sibi.
In nullis terris melior fortuna paratur;
Nam bene cuncta regi res sua quemque docet.
Hocce die noster rex cogitat, optimus heros,
Quae gessit magni numine magna Dei.
Cui soli vere summi debentur honores,
Hunc voce atque animo supplice primus adit.
Area Regia habet monumentum, quale triumphos
In terris aliis nulla columna canit.
Electosque viros exercitus undique misit
Visuros, monstrent quod tria bella decus.
Rex noster minime bellum Guilelmus avebat
Nec regnum terris amplificare novis.
At bellum populis aliis inferre coactus
Auxit victor agris Prussica rura bonis.
Alsatia et dives Lotharingia saepe petitae
Ad nos a longo iam rediere iugo.
Pacificus vere est, Germanos atque Borussos
Qui verbis aequis imperioque regit.
At nil negligitur, quod certam forte salutem
Communi patriae subsidiumque paret.
Artes ingenuae, virtus pietasque per ambas
Divinam lucem fundere prompta suam,
Germanos omnes laete cantare docebunt
Carminis egregii verba canora sui:
Patria cara, potes semper tranquilla manere;
Stat firma ad Rhenum fidaque turba virum.

Scr. Medereci a. MDCCCLXXIV.

Dr. J. A. Schaefer.